Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae

Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

Capvt XIIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library

solidius et constantius habuit, quam admirationem verae laudis et gloriae. Q. Curt. l. 8. c. 14.

## CAPVT XIIII.

## *Gloriae et famae iactura facienda est publicae vtilitatis caussa.*

1. Inuenti multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante: vt Callicratidas, qui quum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregie; vertit ad extremum omnia, quum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginussis remouendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit: *Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse.* Quanto Q. Fabius Maximus melius, de quo Ennius: Cic. 1. Off. c. 24.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Etenim aduersus Hannibalem, callidum imperatorem, toties victorem, dux a Romanis electus Q. Fabius, nouam de Hannibale victoriam commentus est, non velle pugnare. Hinc illi cognomen nouum, et reipublicae salutare, Cunctator. Florus l. 2 cap. 6. Liuius l. 22. cap. 12

Non ignorabat, suam cunctationem Romae infamem esse, seque timidum pro cauto, Liuius l. c. et cap. 15.

*Th. c.39.* imbellem pro perito belli haberi. At maluit, vt se hostis metueret, quam stulti ciues laudarent. Obstinatus in id, quod videbat patriae saluti futurum esse, eodem consiliorum tenore semper bellum gessit. Q. Minucium, magistrum Equitum, iure imperii aequari Fabio Dictatori iussit populus, verae virtutis malus aestimator. Quam legem omnes, qui Romae aut in castris erant, aequi atque iniqui, praeter ipsum Dictatorem, in contumeliam eius latam esse iudicauerunt. Ipse qua grauitate criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem et populi in se saeuientis iniuriam tulit. Inuictum tam a ciuibus, quam ab hoste animum retinuit, et patriae consulere, etiam famae suae dispendio, non destitit.

*Liuius l. 9. c. 4.* Sed ea caritas patriae est, vt tam ignominia eam, quam morte nostra, si opus sit, seruemus.

*Senec. de Const. c. 19.* 2. Et honores et iniuriae vulgi in promiscuo habendi sunt: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, timore contumeliarum, aut taedio, necessaria omittemus, et publicis priuatisque officiis, aliquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi: aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate.

*Cic. 1. Off. c. 19.* Vera et sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria, iudicat: principemque se esse mauult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet,

det, hic in magnis viris non est habendus. Liu. l. 22. c. 39.
Gloriam qui spreuerit, veram habebit.

3. Sunt, qui, quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen inuidiae metu non audent dicere. Quod genus peccandi vitandum est in rebus vrbanis: et T. Quinctius Capitolinus vitauit. Quum Romae Patrum ac plebis certamina ciuitatem distraherent; Aequi Volscique sustulere animos, et ad ipsa vrbis moenia populabundi accessere. Vnde postquam praedas inulti egere, Tribunis delectum militum impedientibus; T. Quinctus Capitolinus, quartum Consul, populum ad concionem vocauit; eumque grauiter obiurgatum quum libere monuisset, quae agenda essent, haec subiunxit: *His ego gratiora dicta alia esse scio: sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites, sed multo malo vos saluos esse, qualicunque erga me animo futuri estis.* Liu. l. 3. c. 68. Cicero 1. Off. c. 24.

## CAPVT XV.

## *Mortem ac dolorem contemnere fortis animi est.*

1. Fortitudinis munera duo sunt maxima mortis dolorisque contemtio. Vtendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius, si viri volumus esse. Cicero 2. Tusc. c. 18

Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem vt negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est: et id incertum, an eo ipso die. Qui autem id, quod vitari non de Senect. c. 20. 2 Tusc. c. 1